



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

10. An mala fides respectu vnus impediatur praescriptionem respectu
alterius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

triam hereditatem titulo nouo percipere, sed eam habere ex titulo parentis. Colligiturque ex *leg. nisi. pro herede. Cod. de usufructu. cap. iomb. pro herede.* Vbi inquit Textus nihil pro herede posse vti capere suis hereditibus existentibus magis obtinuit: id est suos heredes nihil posse vti capere ex bonis alienis apud defunctum reperiis quae ipse vti capere non possit. Sic explicat Azor in *sum. illius tit. Bart. Alberic. Paul. Saicet* quos referunt, & sequuntur Anton Gomez. & Couarrui *locis citatis.* Ad idem est *lex. 2. §. si ff. pro herede. ibi Filius a parte hares institutus res hereditatis a patre sibi donatus pro parte coharedum vti capere non potest.*

6 Fator hanc exceptionem communem esse, at re attentè inspecta nec videtur vera, nec iure fundata. Etenim hares suus est fictio iuris censetur dominium antecessoris continuare. Ob quam causam viuo patre filius Dominus bonorum parentis appellatur, at non censetur eandem possessionem habere, sed diuersam, & distinctam nouo titulo scilicet hereditariae successione acquiratam. Potest igitur ratione huius noui tituli vti capere: Neque contrarij probant leges superius adductae, nam vt rectè explicat Stephanus in *Weyomania iuris. Dislego 36* & Vigilius in *§. si in ius de herede. qualis. Et differet* quibus adhaeret Lessius, *lib. 2. cap. 6. dub. 13. n. 43.* cum in *leg. nihil pro herede* dicitur non posse vti capere suis hereditibus existentibus, non est intelligendum nihil posse suos heredes titulo heredis vti capere, sed alios nihil posse titulo heredis vti capere suis hereditibus existentibus, quia heredes non sunt. Quo sensu in *leg. ex testamento. 2. Cod. unde liberi* definitum est ex testamento, vel ab intestato existente filio, vel nepote suo herede neminem posse ab intestato heredem existere, *lex. vero 2. ff. pro herede.* non agit de praescriptione, sed de modo acquirendi quem habet filius in bonis patris, sensuque illius est non posse filium res sibi à patre donatas & quas viuo patre possederat titulo donationis mortuo patre possidere titulo hereditariae successione, quia sibi titulum possidendi mutare potest, si in eadem lege cauetur. Ex quibus manifestè inferitur te heredem heredis ma & fidei, si iuris vti capere posse incipiendo à te vti capionem, neque vtendo accessione temporis. Et quidem si non titulo heredis, sed titulo agnati, seu cognati qui ab eo qui est heres suus inseparabilis est, vti capere velis, nihil vti capioni videtur obitare. Vti firmiter plures relati à Couarrui. & Anton. Gomez *locis allegatis.* Adde cum Anton. Gomez. *dicto num. 19. vers. ad aduerendum* esto hares suus possit vti capere titulo heredis spectato iure ciuili, bene tamen spectato iure praerogato, in quo non consideratur iustas, nec patria potestas, nec eius virtus, & affectus: iuxta *leg. nam ciuium. ff. de his qui sunt sui. vel alieni iuris. §. secundo in fin. de patria potest.*

7 Porro si successor illius qui malam fidem habuit non titulo successione, sed donationis, emptionis, redemptionis, aliove simili rem possederit, praescribere optime potuit, incipiendo praescriptionem ab eo tempore quo rem incepit possidere bona fide eo nouo titulo. Vt ex communi, & certa sententia docet Couarrui, *ad reg. possessor. 2. p. §. 9. n. 7. Fachineus. lib. 1. controuers. cap. 66. in initio. Lessius. lib. 2. cap. 6. dub. 13. numer. 44. Molina. disput. 65. in initio.*

§. X.

An mala fides respectu vnus, impediatur praescriptionem respectu alterius?

- 1 Non desunt qui sentiant non impediri.
- 2 Mala fides respectu vnus rei, vel iuris non impedit praescriptionem alterius rei, vel iuris distincti.
- 3 Mala fides vnus rei, vel iuris comparatione omnium impedit praescriptionem.
- 4 Si fide tibi bona possidenti rem Sempronij sit à Titio mouetur, censetur ne interrupta praescriptio aduersus Sempronium, proponitur dubitanti ratio.
- 5 Afferitur non interrupti.
- 6 Soluuntur rationes oppositae.

1 Non desunt graues Doctores, Aegidius à Bellamera in *cap. vigilia. tit. n. 35. Immolari in cap. fin. n. 2. de praescripti. Felin. in cap. illud. eodem tit. col. 1. Molina. tract. 2. tit. 3. disp. 72. n. 4.* sentientes malam fidem respectu vnus non impedire praescriptionem respectu alterius: afferunt namque te credentem fundum possessum esse Titij, cum tamen sit Sempronij praescriptum aduersus Sempronium, quia mala fides comparatione Titij praedictae non potest praescriptioni aduersus Sempronium. Tum quia procedit ex errore. Tum quia non impedit comparatione Sempronij bonam fidem. Fauetque Bart. in *leg. Naturaliter. n. 14. ff. de vti capionib. ibi enim inquit, Defectus bona fidei quoad vnum non impedit praescriptionem quoad alium, sed defectus possessionis impedit praescriptionem quoad omnes: quia possessio vna est, & vniuersim omnes species bona fides, vel iustus possunt variari respectu plurium.*

Ceterum distinguenda est mala, & bona fides comparatione rerum, & comparatione personarum & affirmatum comparatione rerum consistere posse malam & bonam fidem, si res aliquo modo distinguantur. Secus comparatione personarum, ac proinde malam fidem comparatione vnus rei, vel iuris non impedit praescriptionem alterius rei vel iuris distincti. Secus vero est de mala fide eisdem rei, comparatione diuersarum personarum. Exemplis erit manifestum, Potes namque bonam fidem habere comparatione vnus partis fundi, & non comparatione alterius, comparatione vnus Hypothecae pigoris vel vti fructus, & non comparatione alterius. Item comparatione proprietatis rei, secus comparatione vti fructus. Sicuti expresse habetur, *leg. si quis fundum. ff. de acquirenda possessione. leg. qui balneum. §. Titia. ff. qui petores in pignore ha. cantur.* Ideoque mala fides vnus iuris, seu partis non impedit praescriptionem respectu alterius iuris, vel partis distinctae. Sicuti notatur Couarrui alijs rebus *ad reg. possessor. 2. p. §. 8. n. 5. Andreas Fachineus. lib. 8. controuers. cap. 34. Molina. disput. 63. col. 1. Sanch. lib. 2. in Detalog. cap. 23. n. 157.* Quo sensu rectè explicat Couarrui. locutum fuisse Bart. in *dicta. leg. naturaliter* cum dixit defectum bona fidei quoad vnum non impedire praescriptionem respectu alterius, bene tamen defectum possessionis, loquitur namque de diuersis iuris proprietatis, & vti fructus, & inquit qui non possidet, nec praescribit contra proprietarium, nec contra vti fructuarium, nec contra vti fructuariae fundamentum non habet: ita vero qui possidet, habet tamen bonam fidem respectu proprietarii, malam respectu vti fructuarii, praescribit plane aduersus proprietarium, sed non aduersus vti fructuarium. Quod est dicere malam fidem vnus iuris non impedire praescriptionem respectu alterius.

E contra vero mala fides vnus rei vel iuris comparatione omnium impedit praescriptionem. Vt tradit Aretin. *col. 9. cap. 17. in leg. 1. §. item acquirimus n. 56. ff. de acquirenda possessione. Et in leg. 3. §. Natus col. vlt. de m. tit. Panoimit. cap. illud n. 8. de praescriptio. Bellamera cap. vigilanti num. 3. v. eisdem Couarrui. *dictu reg. possessor. 2. p. §. 8. num. 5. Andreas Fachineus. lib. 8. controuers. cap. 34. Molina. dicta disp. 63. Sanchez. cap. 23. num. 157.* Et colligitur aperte ex *leg. aut qui aliter §. si quis dum parat ff. quod vi, acie clam. ibi §. si quis dum parat locum tuum iura qui meus est, calandrus non mei causa fecerit mihi interdictionem competere, Et leg. 1. §. sed per eum ff. de acquirenda possessione. ibi inquit Consulatus Hominis verè liberi possessionem non acquirere per ministerium illius quem excusabat bona fide seruatum esse. Ecce quia praescriptio mala fides comparatione vnus possessionem vti fructuariae reddit, & praescriptionem impedit. Etenim ad praescribendum necessarium est, vt in nulla parte temporis conscientiam habeas rei alienae. Vt dicitur *cap. fin. de praescriptio. ibi: et eo ipso quo firmiter credis rem Titij, quae est Sempronij conscientiam habes rem esse alienam, nequis ergo praescribere, est enim praescriptio cum peccato interdicta. Neque obest quod illa mala fides ex errore procedat: nam est errore procedat sufficientem esse constituit conscientiam malam, & peccaminosam possessionem ac proinde malam fidem non quidem directè comparatione Sempronij, sed indirectè.***

Solum est dubium, si tibi bona fide possidenti rem Sempronij sit à Titio mouetur in cuius progressu succumbit, quia Dominus non est, censetur interruptisse praescriptionem aduersus Sempronium. Ratio dubij est quia in *leg. Nemo. Cod. de acquirenda possessione.* Constantinus inquit, *interpellatione verò, & controuersia progressu non posse eum intelligi possessorem, qui licet possessionem corpore teneat, tamen ex interposita contestatione, & causa in iudicium deducta super iure possessionis vacillat, & dubitat.* Ergo ex sententia Constantini possessio litis contestatione interrupta censetur. Etenim per huiusmodi contestationem litis possessorum constituntur in mala fide, si quidem vacillare, & dubitant. *leg. sed est lege. §. si autem ff. de petit. heredit. at cum mala fide nequit esse praescriptio, ergo &c.* Quinimo non solum per litis contestationem, sed per solam citationem eorum Iudice competentis praescriptio interruptitur, *leg. cum notissimi. Cod. de praescriptio. 30. vel 40. annorum, & ibi Clesia, & notatur Fachineus. lib. 1. controuers. cap. 8. v. vers. §. 6. n. 10.*

Nihilominus in presenti calu nec per citationem Titij, nec per eius litis contestationem, praescriptionem aduersus Sempronium interrupti merito docuerunt Couarrui, referens Socium *in disput. 47. lib. 3. ad reg. possessor. 2. §. 8. num. 5. circa finem.* Andreas Fachineus. *lib. 8. controuers. cap. 34.* Ratio est, quia per litis contestationem solum inducitur vacillatio, suspicio, & opinio rem esse alienam, vt Constantinus dixit vacillatio, suspicio, & opinio suspensio possessioni bona fide inceptae illam non interruptit vt ex *sup. prius* dictis constat. Adde in vti capionibus vti fructuariae spectandam esse non errorem. *leg. 1. §. si sub consuetudine ff. de vti capionibus pro emptione.* Praeterea quod inter vnus acta alius ex se nec nocent, nec profunt, *io. tit. Cod. res inter alios acta.*

Neque oppositae rationes obstant. Nam *lex nemo* solum probat, contestatione litis facta, interim dum veritas manifestatur, non esse iudicandum possessorem qui possessionem corpore tenet, nec

non tamen probari possunt indicandum esse non possiditorem... non interrumptur, bene tamen iudicium illius suspenditur.

§. XI.

Expenditur quarta conditio de tempore requisito praescriptioni rerum mobilium.

- 1 Quae sint mobilia, & immobilia?
2 Mobilia priuatorum possessione trienniali cum titulo praescribuntur.
3 Ab hac conclusione excipitur res furtiua, & vi occupata.
4 Mobilia spatia 30 annorum sine titulo praescribuntur, etiam aduersus Ecclesiam.
5 In hac praescriptione affirmant plures Ecclesiam Romanam privilegio gaudere.
6 Verius est oppositum.

Pro veritate praescriptionum diuersus temporis decursus requisitus est: alius enim requiritur pro praescriptione mobilium alius pro praescriptione immobilium, & in horum praescriptione diuersus contra priuatum, ac contra principem, vel Ecclesiam sicut in sequentibus videbimus.

Mobilia appellamus quae loco mouentur, vt sunt animalia, vestes, pecunia, naues &c. E contra immobilia quae loco dimoueri non possunt, vt domus, vinea, pacua, praedium &c. His accedit obligatio ad ea soluenda, vel ius ad ea comparanda quae si fuerint rerum mobilium inter mobilia computabuntur, si vero immobilium immobilibus adhaerebunt. Excipit nisi hoc debitum, & obligatio mobilia sine termino respiciant, nam eo casu inter mobilia computari debent. Quia ratione census, cathedra, beneficium, officium, vfus fructus abque limite in numero immobilium referuntur, quia sunt ius ex se perpetuum percipiendi mobilia, & instar rerum immobilium fixa manent. Sicut colligitur ex cap. 2. & ibi Glossa de rebus Ecclesiae non alienandis lib. 6. & ex cloumont. exi. de paradiso §. cumque annuere tus. His positis,

Mobilia priuatorum possessione trienniali bona fide, & titulo intercedente praescribuntur. Vt habetur leg. vnica. Cod. de vfucapione trans. formanda. & §. 1. in fin. de vfucapionib. Eodem tempore completur praescriptio mobilium Ecclesiae, vt constat ex Authenti. quas actiones. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis. Ibi de vfucapione trienniali, vel quadrienniali praescriptione in suo robore duraturis. Etenim in praescriptione rerum, & actionum quae minore tempore quam decennio aduersus priuatos praescribuntur Ecclesia nullum privilegium habet. Requirit vero ad hanc praescriptionem triennalem non solum bonam fidem sed titulum. Constat ex leg. Celsus ff. de vfucapionib. & ex leg. nullus. Cod. de rei vnicat. & notatur Couarruu. alius relatis ad reg. possess. §. 2. n. c. Mol. tract. 2. disp. 68. Lessius lib. 2. cap. 6. dub. 7. num. 22. Paul. Layman. lib. 3. sum. sect. 5. tract. 1. cap. 8. num. 23. Sanchez. lib. 2. sum. cap. 23. n. 94.

Aduerso tamen in praescribendis fructibus alicuius fundi bona fide possessi titulum generalem pro suo sufficientem esse, quia hi accessorie ad fundum praescribuntur. Vt docuit Bald. leg. 1. num. 8. Cod. de vfuris & fructus us legat. Couarruu. lib. 1. variar. cap. 3. num. 7. conclus. 4. Cardin. Iuchus. t. 4. conclus. 489. num. 4. & conclus. 492. numer. 18. Sanch. lib. 2. sum. cap. 23. num. 94.

Deinde docet Sanch. n. 95. triennium requisitum pro praescriptione rerum mobilium intelligendum esse, cum mobilia per se praescribuntur, secus si accessorie praescriberentur. Nam praescriptio principalis, v. g. fundo, fructus ex illo percepti praescripti sunt, vt constat ex leg. eos 26. in fine. Cod. de vfuris, tamen triennium non decurrit.

Ab hac tamen conclusione excipienda est res furtiua, & vi occupata, quam si titulo emptionis, donationis, vel simili a fure, seu rapitore accepit, p. etere bene triennio non potes: quia habet vitium ordinariae praescriptioni oblitens. Vt habetur §. furtiua in fin. de vfucap. in v. l. i. in fin. Cod. de acquirenda possessione. possunt tamen praescribi spatia triginta, vel quadraginta annorum, Vt colligitur ex leg. sicut in r. m. & leg. si quis emptione §. quod si Cod. de praescript. 30. vel 40. annorum. & docuit Lessius. lib. 2. cap. 6. dub. 1. num. 44. Paul. Layman. lib. 3. sum. sect. 5. tract. 1. cap. 8. num. 29. contra Socum. lib. 4. de iust. quast. 5. n. 14. post secundam conclus. Quintimo, esto sit res furtiua, & vi occupata, si tamen sit accepta a possessore male fidei praescribitur neque ante tricennium decurrit, ex nouella. 119. Iustiniani, qua correcti est §. quod autem in fin. de vfucapionib. Inquit enim Iustinianus, i. versus rerum Dominus ignorat simul, quod ea res ad ius suum pertinet simul et ad alium in eadem intercessit, iubemus vt non aliter, quam tricennij praescriptione excludatur, cum is qui res ius medio possidet dicere nequeat, quod ipse bona fide possidet.

deest, quando a mala fidei possessore hasce accepit. Sic notat Lessius lib. 2. cap. 6. dub. 13. in fine. num. 44.

Sine titulo autem mobilia spatia triginta annorum tam aduersus priuatos, tum aduersus Ecclesiam praescribuntur. Vt ex omnium sententia tradit Molina. tract. 2. disp. 68. in fine. Lessius. lib. 2. cap. 6. dub. 7. in fine. Layman. d. cap. 8. num. 28. argum. leg. 3. Cod. de praescript. 30. vel 40. annorum. Si enim ibi cauetur immobilia eo temporis decursu praescribi, tacite supponitur mobilia eodem praescribi debere, cum praescriptio immobilium difficilior sit. De xii. tum aduersus Ecclesiam, nam cum in hac praescriptione priuatorum regulanda est.

Dubium tamen est, An in hac praescriptione, seu vfucapione rerum mobilium Ecclesia Romana aliquo privilegio gaudeat? Affirmant gaudere Panormit. in cap. cum dilecta. 4. de confirmat. vtili, vel inutili. ver. possessiones. Syluest. verbo Praescriptio. 1. n. 7. ver. tertium. Lessius. lib. 3. cap. 6. dub. 7. num. 22. Nec dissentit Couarruu. ad reg. possess. 2. p. §. 2. n. 5. nam postquam statuit vfucapionem triennem acque aduersus Ecclesiam, ac priuatos induci, subdit n. 6. Et hac de Ecclesiis inferioribus; nam contra Romanam Ecclesiam necessaria est centum annorum praescriptio. Ducuntur ex authenti. quas actiones. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis. Quas actiones alias decennales, alias vicennales, alias triennales praescriptio excludit, haec loco religioso competant quadraginta annis excluduntur vfucapione trienniali in suo robore durantibus, sola Romana Ecclesia gaudente centum annorum spatia, vel privilegio. Exceptio namque ad vtramque clausulam videtur referri, & confirmari potest ex cap. cum vobis. 14. de praescriptionib. vbi absque vlla distinctione rerum mobilium, & immobilium dicitur contra Ecclesiam Romanam, non nisi centum annorum praescriptio locum sibi vendicat; vbi Glossa verbo eorum inquit, hac praescriptio obinet in rebus & possessionibus, quibus verbis indicat comprehendere mobilia, & immobilia.

Ceterum etsi hac sententia probabilis sit veriore existimo, quae asserit nullum privilegium in praescriptione mobilium Romanae Ecclesiae concessum esse. Vt docuit Glossa, & doctores in dicta authenti. quas actiones teste Molina tract. 2. disp. 68. Layman. lib. 3. sum. sect. 5. tract. 1. cap. 8. numer. 23. Sanch. lib. 2. cap. 23. num. 96. Moucor quia neque ex praedicta authenti. neque ex dicto loco colligi potest hoc privilegium. Nam exceptio illa facta in d. Authenti. si attendit consideretur non fuit exceptio ab vfucapione, sed ab aliis actionibus quae si religioso loco competant quadraginta annis excluduntur. Quod inde probatur, quia ea exceptio deducta est ex Nouella 9. Iustiniani, quae de praescriptione longissimi temporis loquitur, non igitur extendenda est ad vfucapionem quae est breuis temporis. Praeterea si ea exceptio vfucapionem rerum mobilium comprehendit vix aduersus Romanam Ecclesiam potest esse vfucapio, cum raro vel nunquam res mobiles spatia centum annorum perdant. Et forte ob hanc causam dixit Imperator vfucapione trienniali, vel quadrienniali praescriptione in suo robore durantibus, quasi nihil viderit in hac vfucapione, & praescriptione mutare. Et licet in cap. cum vobis de praescriptio. i. aliis & generatim dicatur contra Ecclesiam Romanam non nisi centum annorum spatia praescribi, id intelligendum est de vera praescriptione, quae immobilibus competit, non de praescriptione mobilium, quae in iure praescriptionis nomen non proprie fortitur, sed vfucapionis.

§. XII.

De tempore, quo res immobiles praescribuntur.

- 1 Immobilia titulo interueniente decennio inter praesentes, vicennio inter absentes, sine titulo vero triennio praescribuntur.
2 Ab hac regula excipitur praescriptio aduersus Ecclesiam Romanam.
3 Secundo excipitur praescriptio aduersus quamlibet Ecclesiam Romanam inferiorem.
4 Tertio aduersus monasteria Ordinis D. Benedicti, & quae eorum privilegia gaudent.
5 Item bona cuiuslibet donata, legata, vel vendita.
6 Praescriptiones longissimi temporis sine titulo procedunt in euentu quo ius praescribent non resistit.
7 Explicatur Doctrina.
8 Possio immemoralis tituli vim habet.
9 Quasi immemoralis possessio.
10 Qualiter immemoralis a censuaria differat.

Res immobiles titulo interueniente praescribuntur inter praesentes decem annis inter absentes viginti sine titulo spatia 30. annorum. Prior pars habetur expressè §. 1. in fin. de vfucapionib. & leg. cum an longi vit. Cod. de praescript. longi tempor. & leg. si quis emptione, Cod. de praescript. 30. annor. & tradit Gratian in cap. pl. c. vi. 16. quast. 3. A qua Doctrina excipienda est res immobilis quam a mala fidei possessore accepisti. Hanc etenim si ignorante vero Domino in toto translata sit, nequis praescribere